Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1855
Quelle:
Copyright:

domini melius intelligamus, dicendum est de passionis causa, efficacia, magnitudine &c. Autor nullibi notatus.

IV. *fol.* 134. *Incipit compendium compendiorum tocius beatitudinis.* Quaeras:

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

Nihil nisi prima II. *Capita* Libelli, quem ipse Autor *Bonaventura* dici voluit *Incendium Amoris*, quem vero pii Scioli jam *Regimen Conscientiae*, jam *parvum Bonum*, jam *Itinerarium in se ipsum*, jam *Fontem Vitae* inscripsere, quibus adde Nostrum. Extat edit. *Lugd.* 1686. T. VII. p. 184. et incipit: *Ecce descripsi eam tibi tripliciter* &c.

V. *fol.* 146. *Incipit Augustinus de Differentia inter spiritum et animam.* Ita: *Quoniam dictum est mihi, ut me ipsum cognoscam* &c. *Hugoni Victor.* tribuitur tanquam Liber ejus II. *de Anima* edit. *Rotom.* 1648. T. II. p. 145. *Isaaco* Abb. *de Stella* vel amico ejus *Alchero* Monachis *Cisterc.* in *Biblioth. Ord.* T. VI. p. 84. utroque loco multo brevior est compilatio; quam in *Append.* T. VI. *Opp. Augustini* edit. *Maur. col.* 35. ubi 3. *lineis* Codicem nostrum excedit, qui finit: *quos suscepit regendos.* Quid de ea censendum, habes ibi in *Monito praev.* Nobis adhaerent II. Excerpta: *De Cognitione sui ipsius*, et *de Die Judicij.*

DCCLXX.

R. 3132 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 356. 4. min. eleganter perscriptus, minio distinctus, et olim *Monasterii S. Dorothee in Wienna* complectitur *Sermones de Tempore*, primum ab Aduentu ad Pascha, dein a Paschate ad Adventum, et quidem numero plures in singulos dies, ita ut universim CLXXXV. censeantur, et tamen Sermo I. de Aduentu desit, id quod notat Rubrica marginis: *Hic deest primus Sermo.* Praemisso igitur Materiarum alphabetico Indice Sermo II. incipit, *Universe uie domini misericordia et ueritas. Quando populo notificatur sui regis aduentus sollicite queritur de uia per quam uenturus est. ut ei ualeat obuiare.* &c. Sermones hi prae multis aliis hujus aevi prelum meriti fuissent, nisi esset quaedam etiam Fortuna typographica. De Autore inquirens video in anteriore Theca manu Sec. XV. notari: *Sermones fratris luce parisiensis de tempore super epistolas et ewangelia de ordine minorum.* Geminum *Lucam* profert *Waddingus* in *Scriptt. O. M. Assisiatem* unum, Regentem quidem aliquando Studii *Parisiensis*, editorem unius solum Opusculi *de Christi incarnatione*, et qui anno demum 1440. floruerit; alterum *Patavinum* a. 1245. defunctum, et a *Trithemio* etiam *n.* 501. celebratum autorem *Sermonum de Tempore.*